Cum igitur nihil ad fortitudinis laudem Adolescentis
Benedicti probandam, confirmandamque addi posse conspiciam
ne benevolentiam vestram Audit: Ornat: offendam, cursum hic
Orationis meae inhibebo, et: Quid o Gloriosissime Benedicte?
quid restat? nisi ut faustissimis felicissimisque acclamationibus
tuam coronemus vitam, teque rebus omnibus iam superiorem, et teipso
a virtutis palaestra, a purpuratis spinis reducem ad speluncam
usque comitemur, Ingredere o Invictissime specum tuam, albis
invehere quadrigis, mirabitur illa te, tantumque magnanimi
tatis in te latuisse obstupescet, novum Benedictum toto exci
piet sinu, nec illa iam antiqua spec[us] sed (: o iucundam
metamorphosim! virtutis futura domicilium, Victoriis aedes,
~~Tr~~ Triumphantis capitolium, feliciorem se arbitrabitur,
quam vel Cyri palatium, vel aurea Neronis domus, ibi o
Athleta insuperabilis! ~~ast~~ absconde nunc virtutis radios, pau
lo post universum Orbem illustraturos, ibi solus adhuc sub modio la
tere desidera, tanto clarius post coruscaturus, quanto artius te
comprimere cupis, atque abscondere, ibi tuam considerare, gratulari
tibi (: solus digne potes:) incipe victoriam vel si eam considerare
renuisset tua humilitas non sinit, nos saltem cum verba te=
praedicandi desint obstupescere, et admirari gaude patiare.

Dixi.

Composita a F. Gallo. Anno 1662